50
C
27

VITT. EMANUELE
A

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
23 A
35

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

2 . 5/25

Digitized by Google

GRAMMATICVS PALÆPHATIVS

Siue

NVGIVENDVS

Hoc eſt,

In tres Conſultationes
GASPARIS SCIOPPII
De ratione ſtudiorum, &c.

SCHOLIA
ET
NOTATIONES,

Authore

EVGENIO LAVANDA.

Cum facultate Maiorum

ANNO

M. DC. XXXIX.

Biblió Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

GAſparis Scioppij *pædiam diuinarum, humanarúmque litterarum* ante annum, cum aliquid mihi temporis à ſerijs Negotijs vacaret, *Notis* illuſtraui: pleroſque id ſtudij probaſſe, amicorum litteræ ſignificarunt, præſertim ex ijs locis, vbi is Nugarum Antiſtitem præcipuè egit: quæ etiam me hortabantur ad reliqua eiuſdem authoris dignis cæſtibus elaboranda; precium operæ non minùs me facturum, quàm qui apud Athenienſes lupum cecidiſſet. Cum ergo optimus Deus etiam hoc anno horas aliquot à grauioribus occupationibus vaciuas mihi conceſſiſſet, non committendum putaui, vt quiſquam promptum animum ſeruiendi bono publico in me deſideraret; in quam rem opportunè mihi eodem tempore oblatæ fuerunt *Conſultationes* tres Scioppianæ, planè dignæ, quibus aſpergatur aliquid lucis. Prima eſt de *Studiorum ratione*. 2. *de prudentia & eloquentia comparandæ modis*. 3. *de ſcholarum claſsica informatione*. Nec diu morabor Lectorem, ſed ſtatim rem aggrediar, quanquam procul cæde, & ſanguine; ſuperſtitem quippè volumus Scioppium, ſæpiùs, cum PLAVTO, *exdorſuandum*.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

IN TRES PRIORES CONSVLTATIONES.

I.

SCIOPPIVS GEMMARVM Mango, & Phytognomonicus.

INter præcepta Scientiarum Naturalium tradit Scioppius pag. 31. & iſtud. *Gemmarum itemque plantarum complurium genera & virtutes pernouiſſe cùm varias habet vtilitates, tùm homini cum principibus, & Magnatibus verſanti ad gratiam & polymathiæ ſeu multiplicis doctrinæ opinionem ſuffragari ſolet.* Præclarè. Cum enim Scioppius in polymathia principatum obtinere ſe putet, fateri debet, iſtarum rerum ſe eſſe ſcientiſſimum. Quid autem hinc conficitur, niſi neceſſe eſſe, vt veſtris gazis proſpectum eſſe velitis ô reges! ô principes! cauete etiam cautim gemmis, & Monilibus veſtris ô Matronæ nobiles! Scioppius enim gemmarius factus eſt, ſimul & Herbarius; quæ duo artificia ſi coniunxerit loquentiæ ſuæ, iam orbi notæ, imò maledicentiæ ſuæ, quid non effecerit? *In verbis enim herbis, & lapidibus Magna vis eſt*; vt ſonat vulgatum prouerbium.

Ferunt Gygem paſtorem, ope gemmæ

cuiuſ-

cuiuſdam, annulo incluſæ, efficere potuiſſe, ne ipſe ab alijs conſpiceretur; eaque opportunitate vſum, Reginæ Lydiæ ſtuprum, Regi verò necem intuliſſe, & regnum denique occupaſſe; Cicero lib. 3. de officijs. Ferunt item herbam quandam eſſe, quæ feris & quibuslibet ferramentis admota illa actutum faciat diſſilire. Si hanc gemmam, & hanc herbam nouit Scioppius, an non eſt Magnatibus formidabilis, & Metuendus? Quomodo ergo per iſtam *polymathiæ* opinionem ſibi quis gratiam principum conciliauerit? Videt nè Scioppius, quàm præpoſtera præcepta det ſuis diſcipulis? Quis ſaltem illum de manticulatione non habeat ſuſpectum? Cum nihil procliuius ſit, quàm hominem mendacem, qualis ipſe eſt, etiam eſſe furacem, vt ex veteri itidem verbo conſtat.

Apud *Albanos* nefas erat, *Veſpillones* aurum & gemmas, aliaque ad ſepulcrorum honorem ſpectantia habere, ne occaſio foret ea ornamenta detracturis, cadauera clam exhumandi. Quin ſi quidpiam id genus venum dediſſent, tota familia noxæ dedebatur, ne populum religio contingeret. Scioppium publica fama teſtatur, *Veſpillonis* eſſe *filium*, in quo originis maculam non eluit ementita nobilitas. Cum ergo gemmas eum habere ignominioſum ſit, meritò eum gemmariam docere fuerit ſuſpectum.

II.

SCIOPPIVS NON VVLgaris Philoſophus.

S*Cientiarum naturalium* (inquit pag. 30.) *in vulgaribus philoſophorum ſcholis parum addiſcitur, ſiue quod Magiſtri plerumq; ad hoc alios doceant, vt ipſi diſcant, ſiue quod in otioſis, inutilibus, & loco ac tempore alienis quæſtionibus occupentur, ſiue quod auditores nec arte Logica, vt oportebat, inſtructi ſint, nec aliquod diſciplinæ phyſicæ ſyſtema prius cognouerint.* Vulgares philoſophorum ſcholas intelligit, opinor, *Europæas*, quæ peripateticam ſectantur; ipſe extra Europam, (ſcilicet in *Clara Valle Achor* propè *Galgal*, aut in *Conualle illuſtri* propè *Sichem*, Græcis *à Quercu excelſa*) Stoicis diſciplinis eruditus, poſtliminiò *peripateticam*, non inambulando, ſed vndique profugiendo profeſſus eſt, pedibus, quàm ingenio valentior; Ea propter *philoſophus haud vulgaris*. Sunt, qui Ægyptium è fritillo ſapientem â Scioppio auditum fuiſſe dicant, aut Maurum, atriué nominis Magiſtrum, â quo arcanas *Gnoſticorum* apodixes didicerit: neque carere fide, ſi eum ſcholas *Fratrum Roſeæ Crucis* (vt vocant) ex *Feſſa* Africæ oriundorum frequentaſſe quoq; aſſeueres, cum tantam ſcientia-

tiarum copiam, magnitudinem, & *Encyclopædiam*, quantam ipſe iactat, non potuerit niſi â ſapientibus totius orbis condiſcere. O virum ſupra omne humanum genus ſapientem!

Equidem crediderim, Scioppium non eſſe vulgarem philoſophum, quia ad nullum comparandus. Eſt ſupra *Diogenem*; vt qui non iam ex vacuo dolio, ſed ex pleno (quod experientia docuit) ſapere mauelit: Supra *Cleanthem*; vt qui non mercenariam vitam agere, & aquam de nocte hauriendo, victum ſibi parare, ſed Monaſteriorum pinguibus offis, & *regÿs penſionibus* cuticulam ſuam curare per quam optimè nouerit: ſupra *Democritū*: quia non ſolis atomis eſt contentus, ſed magnos bolos, & grandia fruſta etiam in aëre venatur: Supra *Pythagoram*; quem quidem in eo imitatur, quod nuſquam conſiſtat, ſed identidem ſolum vertat; in hoc autem ſuperar, quod longè ſit clamoſior illo, & loquacior: Cui denique natura nihil reliqui ad diſcendum fecerit, ſed hoc vnum ſuperſit, vt cum Zenone Stoicorum principe, & Magiſtro quondam ſuo, finiat vitam.

Quando verò Scioppius Philoſophiæ Magiſtris vitio vertit, quod docendo diſcant, craſſæ ignorantiæ ſuæ dat argumentum. Quaſi verò hoc ſit vllâ lege veritum; an non quoad viuimus, diſcendum nobis eſt? an non ſemper

prior dies eſt poſterioris diſcipulus? Fabricando, ait philoſophus, fabri fimus. Eadem docendo, quæ didicimus, quin doctiores euadamus, & cum doctrina peritiam, hoc eſt, rationem cum experientia & vſu coniungamus, quis niſi indoctus & Scopis dignus neget? Diſcat ergo Scioppius ex Boëtio: *Optimi praeceptoris ac Magiſtri eſſe, alios informare, vt ſic intellecta ſciat, ſcitaquè exprimere diſcat, vt expreſſione ſequenti vſum comparet; vſus Magiſterium propinat. Alios namque docere, eſt propria facultati indulgere: qui enim alium docet, ſeipſum inſtruit,* addit Angelicus Doctor; quare cum Scioppius nec docendo legitimè, nec diſcendo aptè, ſeipſum inſtruxerit, quàm intelligenter & probè alijs præcipiat, præſertim in philoſophicis, vel ex ipſius *Suppetijs logicis,* quas Ieſuita VVagnereck excuſſit, perſpicuum eſt.

Grauiter præterea errat, cum putat omnes illas quæſtiones eſſe *otioſas, inutiles, & loco & tempore alienas,* quæ ipſi non placent. quid enim illi boni placere poteſt, qui ob ſummam animi prauitatem cum maxima inſcitia coniunctam, quid bonum ſit, ne iudicare quidem rectè poteſt? Neque otioſa, neque inutilia ſunt, quæ intellectum acuunt, & perſpicaciorem ad omnia alia intelligenda reddunt. qui enim ad ſubtiliora & difficiliora lynx eſt,

an erit talpa ad faciliora? Memini ex quodam audire, â Zabarella olim celeberrimi nominis philoſopho *Patauij*, diſcipulos ſæpenumerò ad Ieſuitarum libros fuiſſe amandatos; qui etiam crebrò inter phyſicas interpretationes in hanc vocem eruperit: *Legite Pererium: Legite Pererium Vbi Pererius, nemo meliùs, nemo clariùs.*

Si Scioppius orthodoxus eſſet, religioni ſibi duceret, *Timpleri* & *Kekermanni*, duorum Caluiniſtarum *Syſtemata*, tot hæreſibus referta, iuuentuti tantopere commendare, & omnium Catholicorum lucubrationibus anteferre; quemadmodum facit pag. 30. & 31. vt vel hinc cognoſcas, quid foueat in ſinu ſuo: nec refert, quòd monet, *ea à docto Theologo inducenda, quibus Eccleſia Catholica doctrina impugnatur.* Quis enim ad fundum cloacas iſtas exhauriat? Quæ ſpongia tot fœditates abſtergat? Quæ Theriaca tam potentibus venenis obſiſtat? Si quæ autem gemmæ in illis ſordibus ſunt, eas ex Catholicorum libris ſunt mutuati. En verba Scioppij pag. 31. *Metaphyſicam ſeu primam philoſophiam ex eiuſdem Timpleri Syſtemate commodiſſimè haurire poteris. Nam pleraque omnia, quæ à Fonſeca, Suario, alijsq; Maiorum gentium philoſophis vberius ſunt explicata, miro ille compendio contraxit.* Hîc duo notanda Lector meminerit, I. Sciop-

pium fateri, *Fonſecam* & *Suarium* eſſe maiorum gentium Philoſophos, & ipſos fontes; Timplerum autem exindè in ſuos canales deriuaſſe furtiuas aquas. Quis autem non malit ex fontibus, quàm ex riuulis bibere? Compendia ſæpè ſunt diſpendia. Dum breuis eſſe laboro, obſcurus fio. Hallucinatur vehementer Scioppius, & in ſcientiarum Horto ne ad *Apium* quidem progreſſus eſt, ſi exiſtimat ex meris *Tabulis compendiarijs*, quibus cum Keckermanno, & Timplero pueriliter ſuperbit, ſolidum plenæ doctrinæ hauſtum iuuentuti propinari poſſe. Rudimenta ſeu memoriæ adiumenta ſunt iſta, non perfecta ſcientiarum inſtrumenta. II. Vide, quomodo Scioppius ſuo hamo ſe capiat! ait, *Scientiarum naturalium* (à quibus prima Philoſophia hoc loco non excludenda) *in vulgaribus Philoſophorum ſcholis parum addiſci*. Et tamen fatetur quoque, Fonſecam & Suarium Ieſuitas, qui in *vulgaribus* (vt Scioppius vocat,) Philoſophorum ſcholis educati, in ijſdem docendi munus obiêre, fuiſſe *maiorum gentium* Philoſophos, & ex horum lampadibus oleum accepiſſe Timplerum, non vulgarem Philoſophum. Iſta non aliter cohærent, quàm ex arena funiculus. Aut enim ſolida fuit doctrina Suarezij & Fonſecæ, aut non. Si fuit, verum non dicit Scioppius, cum ait, *parum addiſci in*

vul-

Vulgaribus Philoſophorum ſcholis, in quibus iſti fuêre Dûces. Si non fuit, falſum eſt, iſtos fuiſſe *maiorum gentium* Philoſophos; falſum item, Timpleri doctrinam ſolidam eſſe, quam ex iſtis hauſit.

Vin' ſcire, quare diſpliceant Scioppio vulgares Philoſophorum ſcholæ? In ijs de materia prima, de forma, de loco, de vacuo, de Elementis, de cælo &c. diſputatur. Cum ergo materia prima tractabilis ſit, & omni formæ ſeſe ſubijciat, Scioppius autem homo duriſſimæ ceruicis omnem ſubiectionem, bonæque mentis formam reſpuat, neque Superiorem ferat, tædet illum de materia prima diſputare. Odit etiam quæſtionem de Loco, quia nulla ipſi ſub cœlo certa ſedes, perpetuò hûc illuc fugitanti. Inutile cenſet de Vacuo agere; quia ipſe plenis inhiat: Alienum cenſet de elementis & mixtorum natura diſceptationem inſtituere; quia magis de alimentis procurandis, & quomodo per *claſſicum belli & Heldum rediuiuum* aulas Regum inter ſe committere, & miſcere ſumma imis in Republ. Chriſtiana poſſit, eſt ſollicitus: Inutile iudicat de cælo agere, quod pro ſe fabricatum eſſe minimè credit. Quæ ſupra ſe, nihil ad ſe pertinere ratus.

At etiam *arte Logica, ſicuti oportebat, Auditores non antè inſtrui in vulgaribus philoſophorum ſcholis*, Conqueritur Scioppius. Sed neſcit, quid dicat. In plerisque locis, annus impenditur Logicâ inſtruendis, antequam ad phyſicam admittantur: Cui hoc non videatur ſatis, piſtillo eſt inſtruendus. Vereor autem, ne Scioppius per *artem Logicam* Fabulas Æſopi intelligat. Nam cum is linguam Græcam eſſe difficillimam cenſeat, non temerè inde Logicæ vocabulum deriuabit, vnde Græci *ſermonem fabuloſum*: ideò & Plautus *Logos Æſopaos* Fabulas vocauit. Profectò ſi Martialis iudicio Grammatici indocti non diſcernunt inter *ligulam* & *lingulam*, non miror, ſi Scioppius per *Logicam*, *Ligonem* etiam accipiat, aut *lingulam* Aromatariorum inſtrumentum, vt qui pharmaceutricam profitetur. Sanè quæ in *ſuppetijs Logicis* dedit, tam accedunt ad ſpeciem *Logicæ*, quàm ſcopæ ad pictorum penicilla, & quam Scopeus ipſe ad ſtaturam hominis ſpectabilem, vt quoque Suppetiæ Scopeanæ dici queant, quas ſi pueris videndas exhibeas, procul â ſcholis fugaueris. In eandem bilancem repono, quæ de Timpleriano diſciplinæ phyſicæ ſyſtemate addit; vim vocis ignorans, ne dum conſtituendæ phyſicæ ordinem & rationem. Abſque Pererij, Conimbricenſium, Clauij, Suaretij, Fonſecæ, & aliorum

Ieſui-

Ieſuitarum fideliâ fuiſſet, nunquam Kekermannus, Timplerus, & alij id genus, ſua ſyſtemata candeſeciſſent. Quàm peritus ſit Scioppius Logicæ, mox videbimus.

III.

SCIOPPIVS LOGICVS.

C*iuilis prudentia, ſiue Ethica, & politica* (inquit pag. 24.) *lectione, peregrinatione, & conuerſatione, ſeu conſuetudine hominum paratur.* Et pag. 33. *Prudentia eſt partim Senatoria, ſeu conſiliaria, partim forenſis, Iudiciaria, ſeu Iuridica.* Denique pag. 37. ait: *Audiendo prudentiam parabis, ſi peregrineris, multumq; cum ijs, qui vel ipſi Remp. adminiſtrârunt, vel peregrinando multorum mores hominum, & vrbes cognouerunt, verſari voles &c.*

Vide, amabo, Lector I. quàm obliuioſus ſit hîc Scioppius, qui licet paulò antè pag. 15. in *padia prudentia compendio contracta,* Ciuilem ſeu politicam prudentiam ab Ethica ſeu morali, velut â diſtincto & oppoſito membro diſcreuerit, nihilominus iam ita vtramque confundit, vt nihil diſcriminis relinquat. Quis enim illa Scioppij verba legens (*ciuilis prudentia, ſiue Ethica & politica paratur lectione &c.*) non credat illum de vna eademque prudentia loqui?

II. Ait Scioppius in eodem *compendio*(pag. 15.) *prudentia eſt rectè viuendi & imperandi ſcientia: eſtq; vel moralis, vel ciuilis. Moralis ſiue Ethica eſt ſcientia rectè viuendi: Ciuilis ſeu politica eſt ſcientia rectè imperandi.* Accurrite hûc omnes Dialectici, & diſcite â Scioppio *definiendi* & *diuidendi* rationem. Ecce! definit prudentiam *in genere*, & ait, eſſe *rectè viuendi, & imperandi ſcientiam:* deinde diuidit hoc *genus* in duas ſubiectas *ſpecies*; nempè in prudentiam *moralem*, & *ciuilem:* In nulla autem definitione *Generis*, exprimendæ ſunt differentiæ ſubiectarum ſpecierum, alioqui non definiretur genus, ſed ſpecies. Sed & totum quod de genere dicitur, omnibus ſpeciebus æqualiter communicatur. Ita Kekermannus Caluiniſta (Scioppij Idolum) in ſyſtemate Logico lib. 1. ſect. 1. c. 3. de genere. Canone 2, cuius hæc ſunt verba; *Totum id, quod eſt in genere æqualiter communicatur ſpeciebus, ita vt nihil de genere dici poſſit, quin idem de quauis ſpecie dici ſit neceſſe.* Atqui non tota ratio prudentiæ *in genere*, â Scioppio definitæ, reperitur in ſingulis ſpeciebus oppoſitis ab eodem aſſignatis. Nam neque *Moralis* prudentia, ex Scioppij mente, eſt ſcientia rectè imperandi, neque *Ciuilis* prudentia eſt ſcientia rectè viuendi; & tamen in Scioppiana definitione *prudentia in genere*, dicitur prudentia copulatè, *ſcientia rectè viuendi,* E T *imperandi,* III.

III. Omnis ſpecies in ſe continet, præter genus, aliquam differentiam, in genere non contentam, â qua *determinatur genus*. Quia *ſpecies* (inquit Keckermannus ſyſtem. Log. libr. 1. ſect. 1. de ſpecie. pag. 61.) *oritur ex generis determinatione*. Moralis autem & Ciuilis prudentia (quas velut ſpecies prudentiæ in genere acceptas conſtituit, & definit Scioppius) præter ea, quæ in definitione generis poſita ſunt, nihil prorſus aliud continent. Sunt profectò iſti in eo Viro, qui omnigenam & prodigioſam rerum Vniuerſarum ſcientiam profitetur, non contemnendi errores, ſunt luculentum ſpecimen inſignis inſcitiæ Scioppianæ. Iuſtiſſimo Deus iudicio permiſit, vt tam fœdè ſtatim in limine ſui *Compendij* impingeret, ac prolaberetur, qui ſe ſupra omnes Doctores, plus quàm hominem Chriſtianum decet, efferendo, ſapientiam Orbis ſecum interituram, omneſque Muſas putauit in obitu ſuo collacrumaturas. Hic moneo, ne ſyſtematum ignorantiam alijs exprobret, qui tam callens eſt Dialecticæ, quàm Aſinus Lyricæ.

Equidem ſi iſte modus tuus diuidendi prudentiam alicuius pretij eſt, prudentia poterit in tot alias ſpecies diuidi, quot ſunt officia diuerſa in ſocietate humana, quæ ſunt innumera. Oportebit ergo quoque diuidere prudentiam in Grammaticam, Rhetoricam, Logi-

çam,

cam, Phyſicam, Grammatico Philoſophicam, Pharmaceutricam, Gemmariam, Herbariam, Ducalem, Comitiuam, Equeſtrem, Pædagogicam, Apparitoriam, Veſpillonicam, & ſi quæ alia superſunt munera ſiuè publica, ſiue priuata. Quis igitur vnquam poterit aſſequi prudentiam omnem Scioppianam? Cum enim eam comparari lectione, peregrinatione, & conſuetudine doceat, neceſſe fuerit illum, qui prudentiam adipiſci velit, cum omni hominum genere etiam cum carnificibus, familiariter viuere, & illorum mores perdiſcere, ô prudentiam laborioſam!

IV.

SCIOPPIVS PEREgrinus.

PEregrinatio (inquit pag, 25.) *de qua nunc agimus*, (hoc eſt, quâ prudentia comparatur) *eſt præcipuarum Europæ partium perluſtratio, vt mores variarum gentium cognoſcantur*. Occurrit hîc Vetus dictum: *Ra rò ſanctificantur, qui multum peregrinantur.* Quod veriſſimum eſſe quotidie cum damno experimur. Quam multi probi peregrè profecti, redierunt improbi in patriam ſuam? eſtnè hoc prudentem fieri? Bonam Scioppius par-

partem Europæ peragrauit. ſed nihilo experientior boni factus; quia vagatus eſt vt ERRO Ægyptius, & nocendi alijs ſtudio, non aliquid boni diſcendi; neque Romam venit adorandi causâ, ſed Æruſcandi. Sæpiùs hûc illuc migrauit, aut inopia adactus, aut alieno imperio, aut pœnarum metu, quæ ipſius nequitiæ debebantur, neutiquam ſuâ voluntate. Quid igitur prudentiæ collegerit, Erratione potiùs, quàm peregrinatione, ipſius Libri Satyrici omni peſtilentiâ peſtilentiores manifeſtum reddunt: Etſi enim cælum mutauerit, nunquam tamen ſceleratam mentem; nec vſquam gentium viſus eſt, quin, velut cimex aut olidus Hircus fœtorem, fugitans poſt ſe reliquerit teterrimum. Irrepſit etiam ad principum menſas; mox & lances extergere, & quadras *polire* aſſuetus, inde *politici* nomen adeptus eſt, eoque commendatitijs impetratis, paſſim comparuit vultu ficto, & imaginato.

V.

SCIOPPIVS IVRISPERITVS.

DE *paranda Iuriſprudentia vix tibi conſilium ſubijcere audeo*, (inquit pag. 37. Scioppius) *cum ipſos annos viginti ab eo ſtudio ab-*

abfuerim animumq; alijs curis occupârim. Extat Titulus in Cod. de profeſſoribus, *qui in Vrbe Conſtantinopolitana docentes ex lege meruerunt comitiuam* In eo ſtatuitur, *Grammaticos & Sophiſtas, qui per annos viginti docuiſſent, aſtimandos eſſe eâ dignitate, quâ funguntur Vicarij Principis.* Cum itaque Scioppius Iurisprudentiæ ſeu diſcendæ, ſeu docendæ neutiquam idoneus eſſet, deſperatione adductus ad puluerem Grammaticum redijt, in eoq; viginti annos ſudans, tanquam emeritus, ſibi ipſi quaſi ex lege tribuit titulum *Comitis & Ducis.* Sed debuiſſet meliùs aduertere ad verba Legis: quæ ita habent. *Grammaticos tam Græcos, quàm Latinos, Sophiſtas & Iurisperitos in hac regia Vrbe profeſſionem ſuam exercentes, & inter ſtatutos connumeratos, ſi laudabilem in ſe probis moribus vitam eſſe monſtrauerint, ſi docendi peritiam, facundiam dicendi, interpretandi ſubtilitatem, copiamq; diſſerendi habere patefecerint, & cœtu ampliſſimo iudicante digni fuerint æſtimati, cum ad 20. annos obſeruatione iugi, ac ſedulo labore docendi peruenerint, placuit honorari, & ijs, qui ſunt ex Vicaria dignitate, connumerari.* Ita Impp. Thedoſ. & Valentinia. Nihil horum reperitur in Scioppio. Nam inter *ſtatutos* profeſſores nunquam fuit connumeratus. Neque enim aliquando eſt auſus (audaciſſimus alioqui) publicam

ca-

cathedram in Academica aliqua ſchola Germaniæ conſcendere, & palam docere; metuens, ne ſuæ inſcitiæ nimis manifeſta relinquerét documenta: Præterea *laudabiles* in ſe, *proboſq; mores* nunquam *monſtrauit:* Quin potiùs paraſitando vitam egit, & modò ſalutator, modò deductor, modò affectator, & ſi quis ad horam conduxiſſet, fabularum ſtructor ita apertè ſolitus eſt mentirier, vt ab omnibus Mercurius bilinguis haberetur. Nihil de contumelioſiſſima, & obſceniſſima illius lingua, quam in omnes, flagitiosè ſtrinxit, dico: Nihil de incredibili illius arrogantia & ſupercilio, quo vniuerſos contempſit, & infra ſe duxit: Nihil de Thraſonica & impudentiſſima illius iactantia, quâ ſuas laudes ſibiipſi vbique decantauit, cùm notiſſima ſint.

At, inquit Scioppius, *ſe, dum à ſtudio Iurisprudentiæ abeſſet, animum alijs curis occupâſſe*; ſcilicet vaferrimus homo hâc purpurâ ſtrumam ſuam tegit, vt cætera ſpecioſus appareat, & cum Iuris ſtudium ab ſe tot annos neglectum fateatur, in reliquis interim vult *in ſummam profeciſſe* videri: Quæ autem illæ *Curæ* fuerint, non exprimit. Crediderim eas fuiſſe, vnde *Curioſi* dicuntur in Codice, L. Curioſi. *De Curioſis & Stationarijs.* Cui hominum generi *Curæ* fuit, aliorum dicta & facta rimari & arbitrari, atque etiam Iudicibus denunciare.

tiare. Quis autem diligentiùs à triginta annis aliena dicta & facta rimatus, ſcrutatuſque eſt, quàm Scioppius? Quid enim aliud in Italia, in Hiſpania, in Aula Archiducis & Cæſaris, in Ratisponenſi Electorum conuentu, in Heluetia, in Varijs Monaſterijs egit, niſi vt quid quolibet loco gereretur, exploratorum more clàm inueſtigaret, in ſuas tabulas referret, materiamque calumniandi, & criminandi corraderet, quam deinde maleuolentiſſimè, captâ opportunitate ſiniſtris interpretationibus & horrendis mendacijs auctam, per libellos famoſos in publicum cum infamia innocentum extruderet; & quæ ipſe ſuô nomine non audebat, ſub fictitio emitteret, ſæpiùs etiam ſua Aſpidis oua alijs etiam hæreticis excludenda committeret.

Nec temerè iſta dicuntur; Meminerit Lector illius Epiſtolæ Scioppianæ, quam is anno 1633. 5. Iulij Mediolano ad quendam Michaëlem **Krafft** Organœdum VVeingartenſem dedit, ex qua liquidiſſimò conſtat, Scioppium cum Hæreticis plurimum communicare, eorumque operâ ad infamandos Catholicos grauiter vti ſolere. Perfrica frontem Scioppi, & nega te talia feciſſe. Quid enim? Tanquam non multa alia â te maiori audacia falſo, aut negata, aut affirmata fuerint? Qui ſemel verecundiæ fines. Noſtri cætera. Vnde

pro

pronum eſt cognoſcere, quæ *curæ* animum Scioppij tanto tempore coxerint, & â ſtudio Iurisprudentiæ auocârint.

Quare tametſi Scioppius ex Lege, *Curioſi*, ſe tueri vellet, nihil prorſus indè haberet patrocinij: Nam *Lex* illa ait: *Quicunque funguntur hoc munere, crimina Iudicibus nuntianda meminerint, & ſibi neceſsitatem probationis incumbere, nec citra periculum ſui, ſi inſontibus eos calumnias nexuiſſe conſtiterit.* Hinc manifeſtum, Scioppium ab hac Lege non defendi. Tùm quia ipſe â nullo Magiſtratu eſt conſtitutus *Inquiſitor* in mores totius orbis, ſed â ſeipſo: Tùm quia qualiacunque crimina ſeu vera, ſeu ficta comperit, non Iudicibus legitimis, vti ex præſcripto *Legis* oportebat, denuntiauit, ſed per infamatrices & Iure vetitas chartas tam Romano, quàm Germanico ſermone, ſuppreſsô ſuô nomine, apud ærariam plebem, & leue vulgus depoſuit, & omni calumniarum genere auxit.

Addit quidem Scioppius ead. pag. 37. *Secum præſtantiſsimis orbis totius Iuriſconſultis familiariſsimè vixiſſe, eoſq́ de arte ſua non ſemel differentes audiuiſſe, inter quos Antonius Faber Anno 1601. Romæ fuerit,* qui in præſtantiſſimis *familiam ducere videatur.* At verò teſtantur ij, qui ferè quadraginta annis iam Romæ vixerunt, ſe illic de aliquo celebrioris

famæ

famæ Iuriſconſulto, qui Antonius Faber fuerit nominatus, nihil vnquam accepiſſe; proindè etiam in hoc â Scioppio fumum vendi, aut certè oblitum eſſe alieni nominis, qui toties mutando per impoſturam vocabulo aſſuetus, tandem etiam obliuiſcetur ſui. Fortaſsè Ioannes Faber is fuerit, cuius ædes Scioppius, vt fertur, ſæpiſſimè adijt: at Germanicum Medicum illum, non Iuriſconſultum fuiſſe, nouit non ſolùm tota Roma, ſed & Germania.

Sed demus, cum præſtantiſſimis Iuriſconſultis frequentem fuiſſe Scioppium; cur non ex ijs vel quotidiano iactata ſermone didicit, quid Iuris *de Libellis famoſis?* Quæ pæna Calumniatorum? Quæ falſariorum? Quid caueat Lex Iulia Maieſtatis? Quid de malis Medicis? Ac ſaltem, quod Grammaticum addecebat, quid Iura habeant de verborum & rerum ſignificatione, vt condiſceret ſe *ſpecioſum* ſcilicet eſſe, quia *clariſſimus* eſt, & quidem de *Clara Valle*, L. ſpecioſus, & an prodeſſe Matri ſuæ poſſit, quòd tale Monſtrum enixa ſit? L. Quæret aliquis: an pueri appellatione contineri queat, qui pædica tractat? L. pueri.

Verùm quantumuis imperitus Iuris ſit Scioppius, nihilominùs audet rationem

mon-

monſtrare, quâ intra vertens biennium, labore minimè magno poſſit aliquis tantum in ſtudio Iuris proficere, quantum ad tuendum Iuriſconſulti nomen, & rem ſtrenuè faciendam ſatis ſit futurum. Primùm iubet Epitomen Inſtitutionum Iuris â Dionyſio Godofredo ſcriptam ediſcere, quod vno menſe fieri poſſit, aut ſummùm tribus. Deindè cura ſit Titulos Digeſtorum & Codicis familiares reddere, quod vno octiduo facillimè præſtetur, per Localem memoriam. *Intereà*, inquit Scioppius, *Lectionem Paratitlorum Matthæi Weſembeccij incipies, in qua cùm annum conſumpſeris, tantum te profecturum præſtabo, quantum vix centeſimus eorum, qui hodie Iuriſconſulti ab Academicis, nemine nemineq; penitùs diſſentiente renuntiantur.* pag. 38.

Miraris haud dubiè Lector ſummam Scioppij in tradendis addiſcendi Iuris præceptis facultatem. Quaſi verò continuò tubicen dicendus ſit, qui cornu vaccinum aliquantulum inflare nouit! Occurrit hoc loco memoria Zingari cuiuſdam Pragæ ferrariam exercentis. Hic aliquando in quadam domo operam locarat clauibus faciendis; aderat & vxor illius, læuâ infantem geſtans, dexterâ folles intendens. Poſt horas datâ ab hero merendâ, offellam ori bimeſtris pueri admouit; accipe

offu-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

offulam, aiens, mi *Magiſter* fabercule: Lepidum dictum aſtantibus riſum fecit; quorum vnus, ecquid infantem *Magiſtrum* vocas? Tum illa, noſtri moris eſt, natis illicò â partu vinum propinare, & Malleolum pugno inſerere, eoque Magiſtrum renunciare, & in Album aſſerere futurum ferrarium. Hoc propemodum ritu Scioppius è Grammatico ſuo genio Iuriſconſultos facit, qui eâ ſcientiâ imbuendos, ſi *Inſtitutionibus Iuris & paratitlis* vtcunque initientur, illis præponit, qui ordine per quinquennium exercitati gradum Academicum publicâ *Authoritate* ſunt conſecuti. Ita Herbarium fecerit, qui *Lactucam aſini*, hoc eſt, *carduum*, aut *Lappam* maiorem ſiue *Bardanam* nouerit; vt vel hinc intelligas, quàm Bardus ſit Scioppius in reliquarum artium tradendis regulis ac præceptis. Quid ad hæc dicant præſtantiſſimi illi Iuriſconſulti, quibuſcum (ſi non de more mentitur) verſatum ſe gloriatur? Quid nobiliſſimæ Academiæ, in quibus plurium annorum ſpatio hoc ſtudium circumſcribitur & definitur, vt ad frugem quis poſſit aſſurgere? Nonne auctoritatem ſuam ab illo traductam putent, & homellum ex argilla factum humi allidant? Quid enim iſtud eſt aliud, quam tumultuario, & præcipiti hoc ſtudendi genere, velle Iuriſprudentiam omninò euertere, atque de medio tollere?

Hanc

Hanc eius mentem luculentè produnt, quæ non ſemel impudenti ore dicitur effutiuiſſe; nimirum *abolendas eſſe iſtas, de Iure, publicas & barbaras Lectiones.* ô impudentiæ ſtabulū.!

VI.

SCIOPPIVS POLY-GLOSSVS.

IAm & illud perridiculum eſt, quod Scioppius de linguis pag 35. præſcribit: *Linguas* (inquit) *alias ornamenti, alias Vſus ſiue vtilitatis causâ diſces. Ornabit te, & in magna apud pleroſq; exiſtimatione ponet Græca linguæ notitia. Vſui tibi erunt præcipuè quidem Germanica, Latina & Italica ſiue Hetruſca; ſecundariò verò Hiſpanica & Gallica, quas quidem omnes intra quatuor annos non magno negotio condiſces &c.* An non rideas inſani capitis ſententiam? Græcam Linguam ornamenti duntaxat causâ parandam putat. O ineptum Grammaticum! Idem dicere poteras de Turcica, Perſica, & quauis barbara. Et cur nihil vtilitatis habeat Græcæ Linguæ notitia? ſi vel Fauni vxor, quid de hac re ſentiat, edicere iuberetur, longè rectiùs iudicaret. Quis enim aliquem in litteris ſenſum habet, cui non etiam fortiter perſuaſum ſit, ſine Græci ſermonis cognitione, man-

eam eſſe omnem ac mutilam doctrinam? & qui eius expertes ſint, ab ijs ne latinè quidem ſcripta rectè percipi? Audiamus M. Tullium in ipſo *Officiorum* limine, Filium ſuum ad Græca cupidè amplectenda ſic adhortantem? vt *ipſe ad meam vtilitatem ſemper cum Gracis Latina coniunxi, neque id in philoſophia ſolùm, ſed & in dicendi Exercitatione feci, idem tibi cenſeo faciendum, vt par ſis in vtriuſque orationis facultate.* Et ad Quintum Fratrem. Epiſt. 1. *Non me hoc iam dicere pudebit, nos ea, qua conſecuti ſumus, ijs ſtudijs & artibus eſſe adeptos, qua ſint nobis Gracia monumentis diſciplinisque tradita.* Et Quintilianus lib. 12. Inſtit. *Latinam facundiā Graca prorſus diſcipulam videri,* ingenuè fatetur. Neque vllus eruditorum vnquam fuit, qui non in eandem ſententiam iuerit; vti clariſſimè demonſtrat Andreas Schottus Tuſculanarum Quæſt. lib. 4. c. 8. & Ioannes Nieſſius, de ortu & occaſu Latinæ Linguæ, Libr. 2. c. 4. & 5. profectò ſi etiam daremus (quod tamen falſum) Græcas litteras ad humanas ſcientias nihil emolumenti adferre, an proptereà idem dicendum eſſet de *Diuinis?* An non ſummæ vtilitatis ſunt pro intelligenda ſcriptura præſertim Noui Teſtamenti, & SS. Patrum placitis è lympido hauriendis? Idemnè ſentit Scioppius de Hebræa, Chaldæa, Arabe, quas Eccleſia Catholica tantoperè commen-

men-

mendat ad exactam *ſcripturarum* intelligentiam? Crede Lector, ne ornamenti quidem cauſâ Scioppius in has incumbendum putet. Vnde apparet, quo loco ſacra habeat, qui in Grammaticis profanis computruit Aliô nimirum ſpectabat ipſius paſſim cum Iudæis familiaritas & conſuetudo, quàm vt ſciſceret de Hebræa lingua. Sed videte inconſtantiam Scioppij, & antilogiam; qui hoc loco Græcam Linguam, ait tantummodo eſſe *ornamento*; pagina verò 21. ait, *eam eſſe neceſſariam ad eruditionem*. ô Vertumnum! ſed pergamus.

Gallicam porrò *Linguam, vt addiſcerem nunquam animum inducere potui* (ait pag 42. Scioppius) *neſcio enim, quomodo ſemper ſui ſuſpicatus, eiuſdem hominis eſſe, aliter loqui, quàm ſcribat, & aliter ſentire, quàm loquatur, in qua quidem ſuſpicione non parùm me confirmauit, quod ex magno eorum numero, qui in Gallijs fuerunt, & linguam illam egregiè didiciſſe viſi ſunt, neminem adhuc cognoui, qui melior, quàm illuc profectus fuerat, in Germaniam reuerterit*. Hanc Scioppij Satyram cùm legeret quidam Gallus, dixit, mentitur Scioppius Veniat ille in Galliam, & experietur Gallos haud aliter de eo locuturos & facturos, quàm ſentiant. Sentiunt autem peſſimum Ardelionem eſſe, qui ipſe etiam abſque Gallica Lingua, more ſuo ſolens, faciat, quæ Gallis exprobrat. Pro me-

ritis igitur accipietur. Etiam apud Chinenſes aliter ſcribendi & loquendi conſuetudo eſt, non tamen fallendi vſus. Liquet, vnde hoc odium in Gallicam Linguam hauſerit Scioppius. Pariſijs in foro *Eccleſiaſticus* ipſius, authoritate Regia & carnificis manu publicè in rogum coniectus, & in cineres eſt redactus. Dein ſapientiſſimum Galliæ Regem non fefellit Scioppij Sinonium artificium & fraus: ideò nunquam potuit adduci, vt tam improbum impoſterum *penſione* annuâ dignaretur. Hinc illæ lachrymæ.

Quid Hiſpanè calleat Scioppius, haud ſcio; ſi quid tamen illius linguæ in ipſo fuit, tunc, opinor, exeruit maximè, quando in Hiſpania Anglicè vapulauit, non intelligentibus, qui eum deuerberabant, quâ linguâ vel dialecto eiularet; ſed neque Hiſpani eum facilè perceperint ſuo ſermone tertiatim balbutientem, quem tanquam furuum hominem ex aſpectu vel eſſe reducem Maurum, vel reliquias Maurorum ex Hiſpania pulſorum poterant ſuſpicari.

Sed quid de *Heluetica lingua* Scioppius? *Heluetica* (inquit pag. 46.) *quondam omnes Alemanni, hodie Heluetij tantùm vtuntur, quam haud ſcio, an omnem Superioris Germaniæ copioſiſſimam, minimeq́ deprauatam rectè dixerim. Homines enim ſuo contenti & Aularum.*

rum contemptores (ex quibus ferè Heluetiorum Reſpublicæ conſtant) minus Exteris miſceri, neq; de lingua polienda, & adſcitis peregrinis vocibus loquendiq; generibus exornanda ſolliciti eſſe ſolent. Maneat inclytæ Genti ſua laus: ſed ego Tuam aſſentationem ſimulatam eſſe, teque Heluetijs colubrino ingenio ſursùm versùm os ſublinere officijs, probè noui. Norunt & alij, qui te de iſta Natione in ludibrium illius fædè ſcurrantem ſæpenumerò audierunt. *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Nolunt Heluetij laudari ab eo, qui eſt apertus veritatis hoſtis, & nullâ laude dignus, tametſi nec linguam Helueticam Scioppius ita laudet, vt abſit omnis ambiguitas. Ait enim, *ſe haud ſcire, an rectè dixerit, eſſe copioſiſſimam & minimè deprauatam* Audiui aliquando Heluetium, Scioppij encomia decantantem. Prô, quàm horrificæ laudes fuerunt? *Dijq; Deaq; omnes &c.* noſti cætera ex Plauto.

De lingua Bauarica & Auſtrica ita Scioppius pag. 47. & 48. *Sexta Dialectus eſt Bauarica, cuius in Bauaria, Tiroli, Stiria, Carinthia, Auſtria & trans Danubium in Aiſtadienſi Epiſcopatu, & apud Nariſcos, qui & Armalauſi quondam dicti, ſiue in ſuperiore Palatinatu vſus eſt. Exteri cum eam audiunt, ex ipſo ſono, longoq; vocalium tractu homines ea loquentes Diſſolutos, Ignauos, & Animo omiſſiores eſſe ſu-*

ſpicantur. Alacritas enim linguæ, & pronuntiationis celeritas ingenij acris & viuidi index putatur. Qui ergo vel conſonantes alioqui minimè aſperas proferre pigratur, vel vocales longo pronuntiationis tractu vſque eo producere gaudet, vt ex ſingulis ternas, vel quaternas facere videatur, quod Bauari & Auſtriaci ſolent, cùm exempli causâ Aaa dicunt Auch / Pfaffenhooooſen / Schrobenhaaauſen / Waaarle *pro* Warlich / ꝛc. talis igitur facilè Italis, Gallis & *alijs ſuſpicionem mouet, vt eum Veruecum in patria, craſſoq́ſub aëre natum credant In qua ſuſpicione ſaltem de plebeijs hominibus non multum eos falli, vel opificum, qui eâ dialectô magis vtuntur, exempla fidem faciunt, quos magnam partem obtuſi Ingenij, ignauos & laboris fugitantes eſſe conſtat. Sicut etiam in eorum cenſu, qui Germanicum nomen litteris & ingeniorum monumentis illuſtrârunt, quiq́; vel in Societate Ieſu, vel inter Lutheraniſmi pracones, Ingenijs, eruditione, & eloquentiâ excellunt, multò pauciores Bauari, Auſtriaci, Tirolenſes, quàm Sueui, Franci, Rhenenſes & Saxones numerantur &c* Hæc Cyclops iſte Grammaticus: ſed qui illius ingenium nouit, non mirabitur, iſta prorſus hiſtrionica ſunt; nempe Bauaricus ille Cato lynceis ſuis oculis, ſimillimè, atque Rex Galliæ, peruidit fraudes & præſtigias Scioppianas, ob quam cauſam manum erga Viros litteratos alio-

alioqui munificam, huic Sycophantæ clauſam tenuit, neque in ſua Aula illum nidulari permiſit. Cùm Scioppius hoc aduerteret, omnemque ſpem *penſionis* Bauaricæ ſibi decollaſſe, atque in perpetuum excidiſſe videret, more canum, quibus deſideratum bolum præripuiſti, priùs latrare in principem, deinde lacerare Bauaricam gentem incepit, & quia homuncioni maledico opportuna ea lingua viſa eſt & digna, in quem miſſilia ſua dirigeret, calamum amaro felle perlitum in Bauaricam Dialectum ſtrinxit. Nec diſſimilis eſt cauſa odij in Græcienſes, qui Grammaticum eſurientem quoq; à ſe procul arcendum putauerunt, vbique bonas litteras ignominiâ fædantem. Sic nec reliquæ prouinciæ, quibus nunc *Linguæ* causâ bellum indicit, illum in tanta æſtimatione, quantam profanus homo ſibi arrogauerat, habuerunt. Nam optimè mihi perſpectum eſt, quid de hoc Grammatico Sereniſſimus Archidux Leopoldus laudatiſſimæ memoriæ Princeps in Tiroli ſenſerit: quod nec Scioppio latuit. Omnes igitur illos, qui Scioppij laudatores & admiratores eſſe noluerunt, Varinianо odio eſt proſecutus, & quæſito ſtudio vbicunque potuit, carpere atque canino dente rodere non deſtitit, & quando nihil inueniebat, quod flagellare acerbis ſuis dicterijs poſſet, ſermonis dialectum nautica conuitiandi libidine vituperauit.

Verùm acutiſſimas illius rationes videamus. Ait, tarditatem hanc in pronuntiandis quibuſdam vocabulis, *putari, diſſoluti: ignaui, & omiſſioris animi indicium*. Quid iam ſequitur Scioppi, niſi vt hoc argumento Cynocephalis, *quorum canina capita atque ipſe latratus*, (teſte S. Auguſtino lib. 16. de ciuit.) *magis beſtias, quàm homines conſitentur*, te commendabilem reddas? Hi enim dicet ſint â natura damnati, eâ tamen præ cæteris volubilitate ſermonis, ac (vt cum Næuio loquar) *Pontica Tolutiloquentia* pollent, vt vix articulata verba præcipitent: Iſtos ergo tu beluinos homines tecum acerrimi Iudicij atque ingenij facias oportet. Propius abibo: quid præcipitantiùs linguâ meretricularum rixoſarum, vino præſertim madidâ & velut ad cotem ducta? Quid aniculis ad colum fabulantibus loquacius atque celerius? Has tu viris omnibus acumine Ingenij præferas?

Si verus Ethicus eſſes, ſcires vtique tarditatem in loquendo potiùs prudentiæ & ſapientiæ, quàm ignauiæ argumentum eſſe, ex Apoſtoli monito; *ſit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum*. Iacobi 1. An non ſapientum omnium vox eſt, rebus quidem omnibus, maximè tamen linguæ moderandum eſſe? nunquam periculoſiùs cadit equus, quàm cùm nimiùm prope-

rat.

rat. Etiam cunctando reſtituitur res. Quoties ſermonis celeritas verbum extruſit, cuius nunquam ſatis longa pœnitentia fuit? Feſtina lentè. Vox ſemel emiſſa viam non relegit, niſi fortè, quod quibuſdam accidit, per iugulum reditura. Quanta igitur eſt neceſſitas tardè loquendi? ſicut lentus potus ad reſtinctionem ſitis aptior eſt, & lenis pluuia ad irrigandam terram, ita ſermo paulò cunctantiùs prolatus, meliùs percipitur ab audiente, & conſideratiùs profertur â loquente. An non quodlibet verbum (ex ſapientum præcepto) priùs bis ad limam, quàm ad Linguam eſt admittendum? Occaſionem hoc faciendi Bauaris præbet ipſa Dialectus Bauarica, quâ ad tertiam & quartam vocalem vnius ſyllabæ ſonus producitur. Argutè Nicoſtratus: *ſi continuò & multa Celeriterq; loqui ſignum eſſet prudentiæ, tum hyrundines dicerentur multo ſapientiores nobis.*

Deinde quis neſcit vniuersè Gallos celeriùs loqui, quàm Hiſpanos & Germanos? An ideò vniuersè Hiſpanis & Germanis Gallos dixeris ingenioſiores? Si opificia ſpectes & Mechanicas artes, nunquam conceſſerit Germania ulli nationi palmam. Neque enim axe adeò auerſo Tellurem hanc Titan aſpicit, vt meri in ea fungi naſcantur. Teſtes do nobiliſſimas Vrbes, Auguſtam, Norimbergam, Argentoratum, ex quibus non ſolùm in Italiam, Galliam, Hiſpa-

niam, Poloniam, ſed & in Indias, aliaſque extremas mundi plagas maximo numero deportantur artificioſiſſima opera, quæ omnes traducunt in admirationem. Neque in eo effugiet Scioppius, quin mendacij poſſit conuinci, quando ait, conſtare, pauciores Bauaros, Auſtriacos, & Tirolenſes, quàm Sueuos, Rhenenſes, Francos & Saxones, qui ingenijs, eruditione & litterarum monumentis excellant, aut excelluerint, numerari. Vbi enim eſt calculus, quo de his fidem faciat Grammaticus? In ipſius caput retorqueo telum. *Nonne ipſe eſt ex ſuperiore Palatinatu, Bauariæ parte, oriundus?* Ita certè teſtificantur permulti, & tamen Giganteam de ſe ſibi imaginem dudum finxit, valideque ſibi perſuaſit, ſe nec habere parem ſapientia, nec ſuperiorem: quò ſpectat etiam *Pædia diuinarum humanarumq; litterarum*, & hæ ipſæ *Conſultationes de ratione ſtudiorum* ab illo editæ, quibus velut totius litteraturæ Dictator de tripode oracula fundit, & omnem Litteratorũ chorum ad ſuam ferulam vocat.

Pergit, ac vt in gratiam redeat, Auſtriacis nonnihil adulatur, laudatque nobiles in Aula Cæſaris. *Neque tamen negauerim* (inquit pag. 48 & 49.) *Auſtriacos, qui vel in Aula Vienna, vel in vicina ac velut ſuburbana Pannonia multùm exterorum conſuetudine vſi ſunt, Bauarica ſtribliginis aliquantulum deterſiſſe, eaq;*

ex

ex re ſic animis efferri, vt emendata terſaq́ʒ locutionis palmam non Bauaris modò, ſed etiam quod maximè eſt ridiculum, ipſis Miſnenſibus & Rhenanis ereptum eant. Verùm ſi, quod res eſt, dicere volumus, etiam quos inter ipſos cultiſsimi purgatiſsimiq́ʒ ſermonis oportebat, tamen idiotiſmis Bauaricis non modò cadendis ſermonibus, ſed neque ſcribendo abſtinere poſſunt. Non longè abiero. Melchiore Kleſelio Viennenſi Epiſcopo non temerè quiſquam Auſtriacorũ, quantumuis ipſe ſibi placeat, ſe Germanicè meliùs loqui, aut ſcribere perſuaſum habet &c. Ex hoc tamen audias, partim etiam in ſcriptis eius legas Mir *pro* Wir. Enck *pro* Euch. Ees *pro* Ihr/*etc.* *Quem porrò mihi dabis Auſtriacum ex omni Cæſaris comitatu, qui non iiſdem aut fædioribus Bauariſmis orationem inficere ſoleat, &c.* Hîc iterum vides Lector, quomodo Scioppius fraudulenter vnâ manũ mulceat, & alterâ percutiat: linguâ lambat, vt vngue lædat. Verùm non eſt, cur Auſtriaci morentur hanc Grammaticam ranam paluſtribus coaxantem, quæ ſi loquentes audiat, in cænum ſe abdit. Sed & Bauari contemnent inſulſum & Cynicum gerronem, cui ſolæciſmus impuri animi vitioſa fecit incrementa linguæ, & ad Veterinarium remittent. Nam ſi Cardinalem Cleſelium Germaniæ Ciceronem doctiſſimum & laudabiliſſimum Eccleſiaſten (cuius perſæpè ne ſeu-

viret Grammaticus, quadras perlinxit) auſus eſt ita rodere, dabitur & reliquum publici iſtius conuitiatoris dementiæ, qui non niſi ex aliorum iniuria perennitatem nominis ſibi parare contendit; quod aſſequetur denique, ſed non niſi, vt ille, qui templum Dianæ incendit.

Quæ de Ieſuita Balthaſare Nimitſch pag. 49 commemorat Logodædalus, facilè intelligat mendacijs accenſenda eſſe, quicunque nouit Ieſuitis infenſum Scioppij animum, quos omnes, ſi poſſet, vno digito mactare, abſtineret cæteros à cæde.

Varias deinde Latini ſermonis ætates pag. 57. recenſet; *auream, argenteam, aneam, ferream, ligneam, luteam.* Non occurrerunt videlicet illi lapidea, ſtannea, plumbea, chartacea, ſtupea. An verò id faciat hiſtoricè, ac iuxta Latinorum ſcriptorum claſſes conſequenter, eruditi iudicent. Sed condonandum Grammatico elementario, ſi Tullium & alios non legit, de quibus plura Andreas Schottus lib. 1. Tuſcul. quæſt. c 13. 14. & 15. Ligneam ætatem â Iuſtiniani tempore ducit, luteam paulò poſt iſtud. Igitur ſi gradatim â lutea deueniendum eſt vſque ad hæc tempora, niſi Latinus ſplendor refloruerit, Scioppium cum ſua Grammatica in *Cloacinam* ætatem incidiſſe neceſſe eſt, quippè qui tam honorifica appellatione Grammaticam Emmanuelis Al-

uari

uari ipſe condecorauit. Vnde velut emergens muſca ipſe mellitas aliorum orationes conſpurcare non ceſſat, donec viſco immoriatur. Sed progrediamur.

VII.

SCIOPPIVS INVNCTVS.

PAlam eſt (inquit Scioppius pag. 65.) *maiorem eorum partem, qui hodie vel maximis in Eccleſia dignitatibus præſunt, & vnctiſſimis Epiſcopatibus atque ſacerdotijs fruuntur, quantulacunque Iuris ac legum notitia tinctos ad eos honores opeſq; perueniſſe; Cæterùm Hebraicè, Græcè ac Latinè indoctiſſimos, tum ſacrarum litterarum non magis, quàm Scythicæ aut Iaponicæ ſermonis intelligentes eſſe. Quamuis enim S. Paulus eum, qui velit eſſe Epiſcopus, Doctorem eſſe iubeat, qui ſcilicet aut ab infantia ſacras litteras didicerit, aut ſaltem in Lege Domini die ac nocte meditetur, Tamen adeò res hodie rediit, vt qui Theologiæ Doctor ſit, vix nomen inter Epiſcopatuum Candidatos profiteri audeat, ſoliſq; Legum ab impijs & paganis latarum Doctoribus ad Eccleſias aditus pateſcat &c.*

Tandem ſuopte ſorex proditur indicio. Hinc rabies illa, quâ Principum omnium, ma-

ximè verò Eccleſiaſticorum, & in primis ſummi Pontificis famam arrodit, quia *nullâ vnctum dignitate*, ſed inanem & macilentum dimiſerunt. At ſufficiebant Grammatico famelico cadulæ illæ guttæ, quæ Romæ affluebant: pinguem certè aſſaturam non merebatur ſuperbum & inſolens mendicabulum, cui aliquando ægritudinem in lecto ſimulanti cùm Vrbanus Papa quadringentos aureos, vt fertur, dono miſiſſet, ſtomachum mouit paucitas, & effutire non erubuit ſummum Pontificem tot nominibus apud ſe ſcriptis non reſpondere. At non tulit Religioſus ſacerdos, qui eas pecunias ad illum deferebat, adeò nauci homunculi ſuperbam impudentiam, *meminiſſet*, increpitans, *ſua ſortis, cui nuper ad modum vel fruſtum panis lautitia fuiſſent: neſcire ipſum, quid quereretur, Summi Pontificis liberalitate iam ſaturo tetrapharmaca ſiue delicatiores cibos nauſeam creare, non ipſius meritis, qua infra quadrantem eſſent, ſed miſericordia Pontificis adſcribendum; curaturum ſe ne iacturam poſthàc fecerit aurum erogando, offam haud merenti.* Certè alia cauſa non eſt, cur Scioppius in Eccleſiaſticos præſules tam furioſè debacchetur, niſi illa, quod *Vnctus non ſit.* Non video autem, quare potiùs ad tales dignitates promouendi ſint merè Grammatici, quâm Legum peritiâ inſtructi. Quaſi verò non magis

inter-

interſit boni publici, vt Epiſcopi & paſtores animarum nouerint, quid Iure fieri oporteat, & quid non fieri, quàm ſi in Grammaticis & criticis iſtis tricis ſeſe occupent, & de vocabulorum genere, & ſignificatione, Scioppij more, poſſint altercari. Sibiipſi imputet culpam Scioppius, quod viginti annis â ſtudio Iuris abſtinuerit, ſuæ fortunæ faber ipſe fuit; non eſt cur alios accuſet. Saltem paratitla alijs præſcripta tenuiſſet, vt vnus *ex centeſimis nemine nemineq; diſſentiente* gradum aliquem tinctus occupâſſet. Verùm exiſtimabat ſe ad omnia aptum, ſi vtcunque Grammatica farina inſperſus aliquandiu pædagogus fuiſſet, & hâc prærogatiuâ Grammaticorum nouæ Romæ (de qua in Cod tit. de profeſſoribus Vrbis) præditus, nouam præſertim Grammaticam (vt cum Lucretio loquar) *tuditando*, in Romæ Veteris Palatium irrepſiſſet; hinc Comes, Dux, Legatus, Vicarius, & quidquid *Clariſſimatus* dignitas habet, renuntiandus, honoratorum vehiculis vbique conſpicuus. Sed ſpes illũ fefellit; Ne tamen omnino in inunctus permaneret, ad Vnguentariam, & ſeplaſiariam tranſijt, vt ſaltem axungia & ſeuo, qui dignitate non potuit, Vngeretur.

Aliam quidem adhuc artem excogitauit verſipellis homo, vt *Eccleſiaſticam Vncturam* conſequeretur: poſtquam enim miſsâ Iuriſpru-

prudentiâ, vt ipſe ait, per 20. annos, vt alij dicunt, nunquam â lumine ſalutatâ, Grammaticæ docendæ ſpecimen Romæ *in Scholis pietatis* edidiſſet, nec tamen quidquam *Vncto ſacerdotio* dignum feciſſet, nouâ quapiam litteraturâ tanquam ſuo inuento, voluit eluctari. Nimirum nactus eſt clàm librum Fratris Thomæ Campanellæ Ordinis Dominicani, quem is de *Monarchia Meſsiæ* confecerat, atque alium eiuſdem *Tractatum* de Rebus inter ſummum Pontificem & Remp. Venetam tunc controuerſis; vtrumque horum in pleriſque ita depilauit, ac deindè Grammaticis quibuſdam commiſſuris, & putridis ex ſua politica argumentis in nouum centonem, contra ſereniſſimum Angliæ Regem Iacobum elaborauit, vt gloriari auſus fuerit, diuinum id opus eſſe, cui nomen *Eccleſiaſtici* indidit. Hunc librum ſine *cenſura* & *approbatione* (ſecùs quàm præcipit Concilium Trid) propè Auguſtam in pago quodam *Meitingen*, quem tamen pagum incognito vocabulo Hartbergam in fronte appellat, typis clancularijs ſubiecit, ac deindè in publicum emiſit. Videbatur ſibi non parùm aſſurgere, quod contra Regem ſcripſiſſet, & iam quoque Eccleſiaſtica tractare poſſet, nuperrimè Grammaticus. Hinc ipſe ſibi plaudere ſub pelle leonis, mox in rugitum eniti diſputando: ſed detectus eſt primùm â Carolo, vt ſcribitur, Fiorante, ſagaci Viro, & riſum alijs, alijs ſtomachum mouit; vix tamen ex erudito-

rum corona, ſaluâ pelle Author libri ſe in ſtabulum recepit, Pariſijs verò liber ipſe in ſumum abijt. Tum verò pænitere eum cœpti, ſatiuſq; videri, ſi quam rationem, cùm primùm Romam veniſſet, conſtanter tenuiſſet. Vt autem Lector meliùs Scioppium noſſe queat, coronidis locô paucis eius res geſtas ab ouo repetam ex ijs, quæ â fide dignis accepi.

Venerat Scioppius ex Germania, vbi priùs fœda quædam & ſpurca ſcripta evulgauerat, Clementis VIII. temporibus Romam, & in familiam Ducis Althemſij, aut qui apud hunc manebat, Comitis ab Hohenzollerē, Pontificij Camerarij, pùrus putus & famelicus Grammaticus, ſe iniecit. Illic liberalitate Ducis vſus, quòd idoneus videretur fuſcus Maſculus ſiue ad Attellanas â menſis ſerendos, ſiue ad euerrendã, quam bono eruditorũ inſtruere cæperat, Bibliothecam. Hîc ne Grammaticus tantũ haberetur, philoſophiam affectauit, & ex vetuſtis voluminibus quidquid ſtoicum ſeſe offerebat, in ſententiarũ farraginē corraſit, ac ne præter mentē ſcripſiſſe diceretur, ſtoicũ induit planè ab omni animi paſſione liberũ ſe profeſſus. Cubabat ſine ſtrato, ponè tabulis coaſſatus; edebat coram alijs parcè, continebat linguam, toruo & pallido vultu defixus; ſubindè ructabat ſapientiæ præcepta, neſcius quid diceret, ſed ſimile quidpiam enthuſiaſmo præferebat. Quid multis? qui intra domũ & famam eatenus latuerat, paulatim efferri cœpit. Nam

Nam Dux Althemſius frequens cum Purpuratis, alijſque Romanis proceribus, narrabat interdum animi cauſâ, eſſe domi ſuæ homuncionem exoticum, furuo aſpectu, ſed qui ſemiputri penula ſuccinctus ſtoicæ diſciplinæ ſectatorem ſe fateretur; nudis præterea & illaboratis aſſeribus indormiens plura præter communem morem & obſcura enuntiaret. Videri ſibi aut magum eſſe, aut delirum, aut inſignem hypocritam. Idem aliorum erat Iudicium, talem vitam aut dementiæ, aut latenti ſuperbiæ & perquam doloſæ ambitioni adſcribentium. Nec fefellit euentus. Nam ſunt, qui viderunt litteras Germani cuiuſdam, ſellæ Pontificiæ baiuli, vt vocant, in Germaniam ad amicum eo tempore in hunc ſenſum ſcriptas: Eſſe Romæ quempiam, nomine Gaſparum Schoppium, qui abſtinentiam â carnium eſu & potu vini iactitet, ſed eum fucum facere, & mentiri in iugulum ſuum, cum ipſemet viderit illum in occultis angulis ſæpiùs non ſolùm carnibus veſcentem, ſed etiam largâ meri potione oneratum. Interea tamen in familia Ducis illius permanebat.

Hinc plerique, qui ex Duce talia audierunt, auebant cognoſcere nouum genus animalis; nec ipſe aliud geſtiebat, quâm repente ex Grammatico fieri aulicus, ex ſtoico Vrbis peripateticus. Quare penula cum pallio curto

per-

permutata copiam ſui facturus, ibat ſalutatum omnes, & dextrè ſportulam vt conſequeretur, ſatagebat. Neque hoc ſolùm, ſed prodibat gladio cinctus perridiculè, humumque longiori mucrone pingebat, vt ſcriba vulgaretur. Trahebat verò hunc foris ornamenti causâ, interdum defenſionis, ſi fortè canes adhuc ſatis pannoſum inſectarentur; Domi autem vtilitatis, ex præſcripto Theophraſti, cum verua aut veruta non ſuppeterent. Erat in delicijs quibuſdam homuncio garrulus, antequam iraſci occæpiſſet, & ſubindè ſcurra non infacetus, ſed perpetuò mendax. Vrbanitatem ipſe vocabat vulgò Sycophantiam.

Aulæ ſpecie captus maiora prenſare cœpit, atque vt loquaculus eſt, & audax, non ſine varia colluſione, cum quibuſdam ſcribis mox effecit, vt internuntius intra & extra vrbem ab aliquibus adhiberetur. Hinc plura cognomina tulit, vt veſpertilio in Apologis, nunc murem, nunc auem ſe dictitans. Ex his tituli conſecuti, quibus ſuperbire poſſet, Legati, Ex legati &c. deinde etiam honores adhamati & Æruſcationes à S. Pontifice, ab Imperatore, ab Rege Hiſpaniarum, Ducibus Florentino, & Mantuano, & trecentis alijs; vt taceam, quæ in dies Romæ Cardinalibus, aliiſque principibus *corniculando* ſeu garriendo ſubtraxit.

Poſtquam in Aula manticulatione tantum

pro-

profecit. vt Romanis notior factus fuerit, neq; tamen ſtoicis ſuis Aphoriſmis adhuc deſiderata obtineret, in altius genus ſtudiorum ſe infudit, & ex tempore, qui nunquam Theologiæ diſcipulus fuit, eiuſdem Magiſter apparuit, atque de Indulgentijs librum edidit, nec dubitauit, quin ſaltem hac ratione pingue ſacerdotium eſſet venaturus. Sed & hac quoque ſpe eſt deluſus. Nam â prudentibus inſipientiæ datum eſt, quod Theologica tractaret, vt *ferrarius aurum*; & ea docere vellet, quæ nunquam didiciſſet, ſed tam ſacram ſcientiam ſua imperitia temerè inceſtaret. Alij etiam negarunt ipſum eſſe auctorem libri, ſed alienum partum ſibi vendicâſſe, vt fami & famæ conſuleret. Ridebant alij, quid ni, ſubdentes & ſcarabæus fimo aſſuetus, roſas?

Cum & Theologica abdixiſſent, ad politicam ſe conuertit. Obſeruarat eos placere Principibus, qui noſſent ex vſu prudentiæ formare experientiam, & pro gubernatione populorum, optimoque Reip. ſtatu ſeruando in medium conſulere. Hanc arripuit ſpartam, & ne repentinus videretur, è Macchiauello ſæcutinam, vt ſutor ex Apollinis calice hauſit, præclarè ſe facturum ratus, ſi de ea contra, quàm alij, ſenſiſſet, inſuper habens temeratum Eccleſiæ iudicium; ac ſolus mortalium omnium imprudentiſſimus, maximeque nefarius, hinc

non

non exiguam gloriam nundinaturus, ſi reiectis omnium calculis proſcriptam Macchiauelli doctrinam legibus liberaſſet, & in manus omnium immiſiſſet. ô Acheronticum hominem !: qui auſus eſt ea calamo defendere, quæ vix vllus hæreticorum quantumuis impius vnquam defendit. Chriſtianam profectò politicam non ſolùm ſceleratiſſimè profanauit, ſed penitùs de medio ſuſtulit. Sine Chriſto enim politica, Chriſtiana nec eſſe nec dici poteſt. Sicuti nec Chriſtiana Religio eſt, vbi Chriſtus non eſt. Nihilominus vt nebulam Lectori offunderet, ex Angelico Doctore & Ariſtotele cum vtriuſque inſigni iniuria multas ſententias corraſit, & prauâ interpretatione corruptas in rem ſuã malitiosè detorſit; cuius fraudes Ieſuita VVagnereckh in Vindicijs politicis probè detexit. Quid præterea tanquam pſeudopoliticus geſſerit, & quomodo Colliſor principum factus ſit, teſtantur claſſicum Belli, & Heldus rediuiuus, libri ab illo in lucem editi, æternis tenebris digni.

Quando porrò his artibus *Sanctum ſacerdotium* aſſequi non potuit, turbator Religioſorum ordinum, publicus Conuitiator, & infamium libellorum ſcriptor, ac denique Hæreticorum patronus & Eccleſiæ Catholicæ hoſtis effectus eſt, quod alij ſunt demonſtraturi. Atq; hæc eſt breuiſſima deſcriptio *Vitæ Scioppianæ*; longiorem ſua tempora dabunt. Deum.

Deum oro, non vt illi det mentem ſaniorem, ſed vt det ſanam, ne triſtius ipſe de ſemet edat ſectaculum, & tam fædam vitam fædiore fine claudat. Enimuerò bonus exitus haud manet impium, qui tam diu impunè peccauit. Inducias aliquamdiu dent Leges, parcant Principes, ſileant pœnæ; quem profugum â ſeipſo conſcientia circumagit, illuc tandem, nî maturè ſapiat, fortuna deuoluet, vbi ignominia iuſtum eſt præmium; quia Iuſtus eſt Deus, & recta ſunt Iudicia eius.

LAVS DEO.

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA